



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Ecclesiae Mechliniensis, Anni M. DCC. XVIII. Circa
Bullam Unigenitus**


Archidiocèse <Malines>

Bruxellis, [1719]

Exemplar Responsi Amplissimorum Dominorum Vicariorum Generalium
Sedis Vacantis Iprensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40699

dumtaxat, qualem Principes Sæculi ipsis crediderunt, atque concesserunt, & sparsim alibi hisce pejora: cum verò ante ipsum nullus omninò Author Belga, neque Laicus, neque Ecclesiasticus hactenùs hanc Doctrinam adduxerit in Belgium, optandum est summoperè, ut hoc novo fermento purgetur fœcundum Belgii Seminarium Universitas Lovaniensis: hoc opus, hic labor etiam nunc tuus est, Præful Excellentissime. In hoc voto permaneo profundâ veneratione. Mechliniæ 8. Decembris 1718. Excellentissime, ac Reverendissime Domine, Vestræ Dominationis Excellentissimæ, & Reverendissimæ, Humillimus, & Obsequentissimus Famulus. *Erat signatum.* P. GOVARTS Vicarius Apostolicus Buscoducensis.



EXEMPLAR RESPONSI

*Amplissimorum Dominorum Vicariorum
Generalium Sedis Vacantis Iprensis.*

Excellentissime, ac Reverendissime Domine

S Anctissimi Domini Nostri Clementis Epistolam Catholicam, & Vestram Pastoralem æquè amplexi sumus: & jam indè iteratum Fidei nostræ, & lætitiæ Testimonium hujus Diœcesis Fidelibus dedissemus, si eorum incredulitas eo adjuvari, vel Fides roborari exigeret. Verùm, quod Nos summoperè delectat, in hac ipsa Sede, à quâ error quodammodò sumpsit exordium, neminem scimus, qui Doctrinam Jansenii de Gratia Salvatoris, & non potiùs obedientiam, & submissionem ejus ergà Summum Christi in Terris Vicarium constanter sequatur. Obmuffitarunt quidè contrà Con-
stitu-

stitutionem Apostolicam *Unigenitus* pauci Sacerdotes : sed, ut primùm hoc Nobis innotuit, ipsi eos adivimus, & si corda eorum, quæ intuetur Deus, non convertimus, saltem ora ita obstruximus, ut non modò silentii reverentialis, sed debitæ quoque obedientiæ certa pignora retulerimus. Atque hoc pacto factum est, Excellentissime Domine, ut nulli, quod sciamus, in hac Diœcesi supersint, qui dictæ Constitutioni palàm contradicere audeant, clam verò, quod vix præsumimus, paucissimi. Hæ sunt Excellentissime Domine, atque aliæ quædam hujus Sedis, & temporis circumstantiæ, quæ Zelum nostrum in silentio, & pace attemperant. Si nihilominus Excellentiæ Vestræ visum fuerit, ut Epistolam aliquam, seu mandatum publicemus, ad amissim obsequemur. Intereà faxit Deus, ut in aliis Vestræ Provinciæ Diœcesibus, & præsertim in Vestra tam reverentè, tamque fidelitè recipiantur Ecclesiæ circa Bajanismum, & Jansenismum Constitutiones, quam in hac receptæ sunt, & dum jussa Vestra avidè expectamus, summâ reverentiâ permanemus. Ipris 27. Novembris 1718. Excellentissime ac Reverendissime Domine, Vestræ Excellentiæ Humillimi, ac Obsequentissimi Servi, Vicarii Generales Sedis Iprensis Vacantis. De Mandato. *Erat signatum.* F. J. MATHEWE *Secretarius.*

EXEM-